



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

Cap. VI. De jurejurando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12945

vel prius esse defunctus : si tempora non congruunt : si vel antecedentia vel insequentia tabulis repugnant. ¹ *Inspectio* ipsa sæpe etiam falsum deprehendit.

¹ *Inspectio ipsa.*] Sæpenumero *tabulas inspicere* propius oportet, ut videamus, siue in illis aliqua litura, siue summa aliqua falsa, aut postremo aliquid subditivum. *Idem.*

CAP. VI.

De jurejurando.

Jurandum litigatores aut offerunt suum, aut ¹ non recipiunt oblatum : aut ab adversario exigunt, aut recusant cum ab ipsis exigatur. Offerre suum sine illa conditione, ut vel adversarius juret, fere improbum est. Qui tamen id faciet, aut vita se tuebitur, ut eum non sit credibile pejaturum : aut ipsa vi religionis : in qua plus fidei consequetur, si id egerit, ut non cupide ad hoc descendere, sed ne hoc quidem recusare videatur : ² aut si causa modo patietur litis, propter quam devoturus se ipse non fuerit : aut si præter alia causæ instrumenta adjicit ex abundantia hanc quoque conscientia suæ fiduciam. Qui non recipiet conditionem, à multis contemni jurisjurandi metum dicet : ³ cum etiam philosophi quidam sint reperti, ⁴ *qui deos habere curam rerum humanarum negarent* : eum vero qui nullo offerente jurare sit paratus, & ipsum velle de causa sua pronuntiare : & quam id quod offert, leve ac facile credat, ostendere. At is qui defert, agere modeste videtur cum litis adversarium judicem

Jurisjurandi magna est religio, ut ajunt jurisconsulti, utilisque ad decidendas causas, quarum alioqui prolixius foret judicium : sed ita demum auctoritatem habet, si ab adversario deferatur, aut à judice. *Turneb.*

¹ *Non recipiunt.*] Non respuunt.

² *Aut si causa.*] Poterit etiam suum offerre *jusjurandum* si causa erit exigua & vilis : non enim credibile videbitur ipsum sibi imprecaturum ob rem tam

exiguam. Porro qui jurabant olim sibi devotionem imprecabantur si pejerarent, ut *in foederibus conjurabant Jovem lapidem.* *Idem.*

³ *Cum & philosophi.*] Hæc sententia est *Epicureorum*, qui mundum providentia regi negant, quæ sententia tollit jurisjurandi religionem sublato metu deorum. *Idem.*

⁴ *Qui deos habere curam rerum.*] Cic. de natura deorum 1.

¹ iudicem faciat, & eum cuius cognitio est, onere liberet, qui profecto alieno iurejurando stari quam suo malit. Quo difficilius recusatio est, nisi forte res est ea, quam credibile sit notam ipsi non esse. Quæ excusatio si deerit, hoc unum relinquetur, ut invidiam sibi quæri ab adversario dicat, atque id agi, ut in causa in qua vincere non possit, quæri possit. Itaque hominem quidem malum occupaturum hanc conditionem fuisse, se autem probare malle quæ affirmet, quam dubium cuiquam relinquere an pejerarit. Sed nobis adolescentibus seniores, ² in agendo facti præcipere solebant, *ne unquam iusjurandum deferremus*: sicut neque ³ optio iudicis adversario esset permittenda: nec ex advocatis partis adversæ iudex eligendus. Nam si dicere contraria turpe advocato videretur, certe turpius habendum, facere quod noceat.

¹ *Judicem.*] Nam *iusjurandum* litem decidit, nisi forte velis perjurium probare. *Turneb.*

² *In agendo facti.*] In actionibus exercitati. *Pith.*

³ *Optio.*] In iudicum sortitione adversarii *voluntatem & optionem* sequi non oportet, nec in arbitrio compromissario eligendo. *Turneb. Optio iudicis.*] Eligendi scilicet iudex à litigatoribus solebat. *Pith.*

C A P. VII.

De testibus.

⁷ **M**aximus tamen patronis circa ¹ *testimonia* sudor est. *Ea* dicuntur aut *per tabulas*, aut *à presentibus*. Simplicior *contra tabulas* pugna. Nam & minus obstitisse videtur pudor inter paucos signatores, ² & pro diffidentia premitur absentia. Si reprehensionem non capit ipsa persona, infamare signatores licet. Tacita præterea quadam significatione refragatur his omnibus, quod nemo *per tabulas* dat testimonio-

¹ *Testimonia* multum prosunt in causis, quæ fiunt vel *voce* vel *scripto*. cæterum quæ voce & à presentibus, magni sunt momenti: quæ *per tabulas* & *scripta* ab absentibus, facilius solvuntur: iurisconsulti *testes* usurpant de præsen-

tibus: *testimonia* de absentibus. *Turneb.*

² *Et pro diffidentia.*] Qui absens *testimonium* dicebat, *tabulas* conficiebat præsentibus signatoribus, in quibus suum *testimonium* perscribebat. *Idem.*

I SUA